



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. VI. An obiectum Logicæ differat ab obiecto aliarum scientiarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

ea demonstratione exercet intellectus omnes tres operationes, apprehensionem, iudicium, discursum; ergo sola demonstratio est quæ adæquat actiuitatem intellectus, ergo illa sola est ultimus illius finis. Probo antecedens, quia in primis ad eam debet præcedere apprehensio, sicut ad omne iudicium: deinde, in ea datur iudicium & assensus circa præmissas, & præterea discursus circa conclusionem, ergo includit omnes tres intellectus operationes, ergo in illa satiatur & expletur capacitas nostri intellectus, ergo est eius ultimus finis. Deinde, obiectum ipsius per solam demonstrationem perfectè cognoscitur, quia per eam solam cognoscitur obiectum in se eius proprietatis & causæ; ergo sola demonstratio est obiectum attributionis Logicæ, vt pote quæ sola est perfectè cognita obiecti.

Obiectis, Deus perfectius cognoscit obiecta, quam nos: sed Deus cognoscit per definitionem, ergo definitio est perfectior modus cognoscendi quam demonstratio. Respondeo, Dei definitionem attingere res in se, & simul in ipsis attingere earum causas & proprietates per cognitionem, quæ posset dici virtualis discursus, nostram verò definitionem non posse id se solâ præstare, vnde eget noster intellectus demonstratione, vt perfectè obiectum cognoscat, & consequenter in nobis perfectior modus cognoscendi est per demonstrationem, quam per definitionem.

66 Rogabis, quâ ratione Enthymema ad demonstrationem reducat. Respondeo, in mente non esse Enthymema, vt diximus in Summis, & amplius ostendat in libris de Prioribus & posterioribus.

Vtenuis rogabis, quâ ratione argumentatio ordinatur ad demonstrationem, eum non differant inter se, nisi solum ex parte materiæ, non verò ex parte artificij Logici; Logica autem non agit de materiâ, sed de formâ syllogismorum. Respondet potest Primò, Logicam agere de materiâ demonstrationis vt distinctâ à materiâ syllogismi probabili, licet in ipsis demonstrationibus non agit in speciali de materiâ demonstrationis Philosophicæ & Theologicæ. Respondeo Secundò & melius, demonstrationem non differre à syllogismo probabili ex parte materiæ, id est ex parte rerum, nam de eadem re potest haberi & demonstratio & syllogismus probabilis; differunt ergo ex parte propositionum, quibus constat, & scilicet in ipsâ illatione conclusionis: Logica autem, licet non agit de rebus ipsis proximè (vt supra dixi) agit tamen de propositionibus ipsis, & de differentiâ inter eundem & probabilem, vnde differentiâ demonstrationis à syllogismo probabili per se spectat ad Logicam, quod ab omnibus concedi debet, siue dicatur demonstratio obiectum attributionis Logicæ, siue non. Alia argumenta, & pro nostra sententiâ contra illam omitto, quia facile ex dictis soluitur, nec sunt prædictis efficaciora: ea vide apud Hurtadum supra fusiùs solito hac de re disputantem.

SECTIO VI.

An obiectum Logicæ differat ab obiecto aliarum scientiarum.

DIFFICULTAS hæc sub alio titulo agitata foret, an scilicet Logica ab aliis scientiis distinguatur. Verum quia hæc distinctio ex obiecti distinctione communiter censetur provenire, idè eam oportet explicare hic vbi de obiecto Logicæ disquirimus. Pro cuius intelligentiâ suppono, modum sciendi, prout est obiectum Logicæ, non dicere entitatem aliquam realem, aut modalem superadditam ipsorum actuum substantiæ, ab eisque separabilem, vt nonnulli male docuerunt. Quod probo, quia definitionem v. g. (idem est de diuisione) esse modum sciendi, nihil aliud est, quam esse cognitionem expressam rei repræsentantem, rationem communem, & differentialem: sed repræsentare has rationes, est ipsa essentia actus, qui est definitio; ergo modus sciendi vt talis, non dicit modum accidentalem essentiæ ipsorum actuum superadditum. Consequentia est euident. Maior certissima: nam quid est aliud definire, quam cognoscere rem per genus & differentiam? Minor verò, scilicet, eam repræsentationem esse ipsam actuum substantiam, inde constat, quia actui non accidit esse cognitionem sui obiecti (vt vniuersa Philosophia docet) imò nihil magis actibus essentiale, quam esse sui obiecti repræsentationem.

Confirmatur: eo ipso quod ponamus actum illum, qui est definitio, & per possibile vel impossibile auferamus ab eo omnem modum superadditum, actus ille repræsentabit rationem genericam & specificam; ergo erit definitio, ergo superfluous est modus superadditus. Imò, licet demus, de facto, resultare eum modum, adhuc in priori naturâ, in quo intelligitur actus illum præcedens, debet concipi actus vt repræsentans genus & differentiam, quia non potest intelligi cum aliâ essentiâ; ergo pro illo priori iam eum concipimus vt definitionem, quia concipimus eum repræsentantem genus & differentiam, ergo, etiam si resisteret talis modus accidentalis, adhuc per illum non constitueretur definitio in esse definitionis, ergo neque in ratione modi sciendi, ergo neque in ratione obiecti Logicæ.

De diuisione probatur eodem modo. Nam diuisionem esse modum sciendi, nihil est aliud, quam repræsentare rem explicando partes eius, vel componentes, vel subiectiuas: sed hoc totum est essentiale actui, ergo & esse modum sciendi. Minor debet probari eodem modo quo de definitione, tum quia non distinguitur à definitione (vt dixi) tum quia, licet distinguatur, tam essentiale est diuisioni diuidere partes totius, quam definitioni eas coadunare: non enim aliter diuidit, nisi cognoscendo vt distincta ea membra, cognitio autem est essentia ipsa actus ipsius.

Aduerte, nonnullos voluisse, definitionem esse compositam ex tribus vel quatuor apprehensionibus, aliâ terminatâ confusè ad subiectum, v. g. ad hominem, aliâ ad copulam, aliâ ad genus, vltimâ ad differentiam; & idem dicunt de diuisione,

69 diuisione, imò & de omni iudicio vniuersim. De hac sententiâ agemus, Deo iuuante, in libris de Animâ: nunc solum obseruo, in eâ dicendum esse definitionem & diuisionem distingui à quolibet actu seorsum sumpto, non tamen ab illis omnibus collectiue sumptis: sicut homo distinguitur ab animâ solâ, & corpore solo, & ab vnione solâ, non tamen ab omnibus illis. Quid autem sit illos actus esse simul, faciliè intelligitur, si comparentur cum coexistentiâ duorum hominum v.g. quæ nihil est aliud, quàm vtriusque existentia & duratio, de quo nonnulla in Disputat. XIII. de Relatione.

Maiores difficultates est in argumentatione, quæ constat tribus propositionibus realiter distinctis, quæ variari possunt & permutari, ita vt cum eisdem propositionibus diuersæ argumentationes in diuersis figuris efformentur, v.g. *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal.* Hic syllogismus est in primâ figurâ: si verò Maior ponatur loco Minoris, & hæc è contrario loco Maioris, vt, *Petrus est homo, omnis homo est animal, ergo Petrus est animal.* iam erit syllogismus in quartâ figurâ *Galenî*, etiam si maneant iidem actus; ergo forma argumentationis distinguitur ab omnibus illis actibus, etiam simul sumptis. Dixi in Summulis, & iterum repetam Disputatione xv. in intellectu eo instanti, quo fit syllogismus, non esse Maiorem & Minorem, sed duas propositiones, quas dicimus præmissas: vnde etiam dixi, quartam figuram *Galenî* non distingui à primâ in intellectu. Vnde nego, cum eisdem omnino propositionibus posse in intellectu variari figuram syllogismorum. De conclusione nullum est dubium, quia hæc de se essentialiter est conclusio, vt nos ostendimus fusiùs in libris Priorum.

70 Obiicies, definitio hominis & definitio leonis conueniunt in ratione definitionis, non verò in ratione actus; ergo forma definitionis debet esse diuersa ab ipsis actibus: sicut, quia vas aureum & argenteum conueniunt in formâ vasis, & differunt in materiâ, colligere licet, formam vasis diuersam esse à materiâ illius. Idem argumentum fieri potest contra diuisionem, argumentationem de homine vel leone: nam conueniunt in formâ diuisionis & argumentationis, differunt tamen actus ratione suæ entitatis, ergo forma diuersa est ab entitate actus. Respondeo, duas definitiones, aliam hominis, aliam equi (idem est de diuisione & argumentatione) esse etiam diuersas in ratione definitionis, non quia in hoc, quod est explicare naturam rei, differant formaliter loquendo; sed quia hoc est idemificatum cum aliis formalitatibus diuersis: & hinc solum colligitur, rationem definitionis esse genus ad hanc vel illam definitionem specie diuersam; non verò colligitur, rationem definitionis distingui realiter ab ipsis actibus, sicut, licet homo & equus conueniant in ratione animalis, & differant in rationibus specificis, non ideo sequitur, rationem animalis esse accedens respectu hominis & equi. Exemplum autem de vase aureo non est de re, tum quia (vt dicam in Prædicamento Situs) etiam illæ formæ sunt diuersæ in specie, licet diuersitas non oriatur ex diuersitate materiæ; tum quia forma illa vasis est separabilis ab ipsâ materiâ, vt oculis cernimus: at forma definitio-

nis nequit ab ipsis actibus separari, vt supra ostendi.

Possent etiam aliqui virgare aduersarios: quia licet forma definitionis distingueretur ab ipsis actibus, adhuc deberet esse diuersa specie in illis duabus definitionibus hominis & leonis; quia actus, ex quibus resisteret forma illa, essent (vt & aduersarij fatentur) diuersi specie, ergo etiam formæ ex illis resultant. Patet consequentia, quia duæ formæ exigentes per se diuersa subiecta in specie, & ipsæ specie differant necessarium est: hæc enim ratione probatur communiter, cognitiones Angeli & hominis esse diuersas specie propter diuersitatem potentialium, in quibus recipiuntur; ergo & aduersarij tenentur illi obiectioni satisfacere, cum ex eorum sententiâ etiam sequatur, formam definitionis esse diuersam pro diuersitate actuum, quod contra me pro absurdo inferebant. Sed hæc impugnatio apud me non habet vim, quia non omnes formæ, quæ sunt de facto in diuersis subiectis, sunt etiam specie diuersæ, nisi quando quælibet est alligata determinatè illi diuerso subiecto. Potest autem contingere, vnam formam esse naturâ suâ indifferentem, vt vel in hoc vel in illo subiecto specie diuerso existat; sicut calor est indifferens vt oriatur vel à sole vel ab igne: eo autem casu sicut non valet, hic calor de facto oritur à sole, & ille de facto ab igne diuerso in specie à sole, ergo etiam calores differunt specie; ita nec valeret, hæc forma est in hoc. 72 diuerso subiecto, & illa in alio diuerso specie, ergo differunt inter se specie, vt patet de facto in gratiâ, quæ est eiusdem speciei siue in homine siue in Angelo sit. Ad illam instantiam de cognitione respondeo, etiam ibi consequentiam per se non esse bonam. Quid autem de facto dicendum sit, in materiâ de Angelis ostendi.

Ex hucusque dictis apertum est, quid sentendum sit de diuersitate obiectionis Logici ab obiectione aliarum scientiarum, & præcipuè ab obiectione Philosophiæ, de quâ solâ potest esse difficultas; quia cum hæc agat de animâ & eius actibus, videtur cum Logica coincidere: constat, inquam, ex his quid sentiendum sit, nempe Logicam & Philosophiam agere de eodem obiectione realiter loquendo, circa illud verò diuersas formalitates considerari à Logica, quàm à Philosophiâ. Hæc enim agit de vitalitate actuum, eorum veritate & falsitate, de respectu quem dicunt ad potentias, & ad obiectum, & de aliis similibus; Logica verò in eis considerat rationem cognitionis, generis, speciei, diuisionem totius in partes, rationem prædicationis vnius de alio, & similes formalitates, quæ ratione nostrâ distinguuntur ab illis, quas diximus à Philosophiâ cognosci. Et hoc est sufficiens ad distinguendas eas scientias, sicut & Metaphysica distinguitur ab aliis, non quia obiecta illius distinguantur realiter ab obiectione aliarum scientiarum (agit enim de omnibus entibus sub ratione communi) sed propter diuersas formalitates, quas in eodem obiectione considerat. Quod si dicas, ad eandem scientiam Philosophiæ, eo ipso quod agat de actibus intellectus, pertinere agere de omnibus illorum formalitatibus; faciliè potest responderi, vel negando id esse necessarium, quod potest probari exemplo adducto de Metaphysicâ; vel concedendo Logicam esse partem Philosophiæ, & ab eo distingui solum

solum inadæquate vt inclusum ab includente, & vt partem à toto, quæ est communissima sententia inter Doctores, quam defendunt Fonseca Tomo Metaphysicæ cap. 3. quæst. 3. sect. 3. Conimbrienses quæst. 4. Proemij art. 4. & recentiores multi secuti plures Antiquos, quos videre licet apud proxime relatos.

Aduerte tamen, quando dico *diuersas formalitates*, non intelligi à me diuersum aliquid ex parte obiecti, has enim formalitates obiectiuas in creatis reiciam infra. Vnde, si clariùs vis respondere, dic Logicam à Philosophiâ ex parte obiecti non distingui, sed ex modo quo illud explicat.

Quâ vero parte Logica agit de demonstratione vel de argumentatione, habet diuersum obiectum non solum ratione, sed etiam realiter ab obiecto librorum de Animâ, quia in his solum agitur de natura cuiuslibet actus seorsim; Logica verò agit etiam de coëxistentia quæ consistit in duratione

eorum actuum, ex quibus argumentatio constituitur: hæc autem coëxistentia distincta est realiter ab essentia cuiuslibet actus, imò & omnium, nam supra illos addit durationem realiter distinctam, iuxta probabiliorum opinionem. Nec ideo censeas nos docere contrarium eis quæ proximè diximus, dum negauimus rationem modi sciendi non esse quid accidentale, distinctum ab ipsis actibus: tunc enim loquebamur de illis etiam vt in coniunctis cum durationibus, à quibus vt sic non distinguitur ratio argumentationis, vt aduersarij volebant, contententes, esse quamdam formam realem artificialem illis superadditam; at verò in præsentia solum loquimur de illis secundum suam substantiam, & vt distinctis ab ipsis durationibus, secundum quam solam rationem considerantur ab Animastico, & distinguuntur ab obiecto Logicæ etiam considerantis eorum coëxistentiam in tempore, ratione cuius efficiunt argumentationem.

DISPUTATIO TERTIA.

De Logica secundum se, & in ordine ad suum obiectum.

SECTIO I.

De Logica docente & vrente.

CELERRI diuisione in *docentem* & *vrentem* Logicam partiuntur Dialectici. De hac egit D. Thomas 4. Metaphysicæ, lect. 4. Scotus quæst. 1. Prædicabilium, & moderni nonnulli nimium fuscè & inutiliter hac de re disputarunt, rem claram importantè disquisitione obscurantes. Nos breuius ab hac difficultate expediemur. Pro quâ aduerte, nemini dubium esse, Logicam docere modum definiendi, diuidendi, &c. Deinde, certum esse, alias scientias, imò & ipsam Logicam, vt eâ doctrinâ, dum qualibet in propriâ materiâ definit, diuigit, &c. Hæc quæ de re disputari poterant, adeo sunt certa & per se manifesta, vt in controuersiam vocari nequaquam debeant: est tamen inter Doctores magna dissensio, cui sit applicandum nomen *Logica vrentis*, an solum ipsi Logicae, an aliis etiam scientiis, dum iuxta regulas Logicæ definiunt, diuidunt. Rursus, an Logica præcisè quatenus agit de probabilibus, an etiam quatenus de omnibus aliis suis obiectis. Quæ dissensio est, vt pater, de solo nomine, ideoque parui momenti. Rem intellige, vocibus vtire vt libuerit, nec deficient patroni pro quocumque modo loquendi. Dicam tamen, quid in hoc puncto videatur probabilius, & consequentius ad ipsarum vocum significationem.

2. Ego in primis censeo, diuisionem hanc esse solius Logicæ, vnde solum appellarem *Logicam vrentem* ipsam Logicam, dum in actu exercito vtitur definitione, diuisione, &c. Quod enim aliqui docent, Logicam vrentem dici ceteras scientias, dum definiunt, diuidunt, &c. non placet; quia illæ non sunt Logicae, sed vrentes Logicae: quando autem totum aliquod potentiale diuiditur, semper partes diuidentes debent in recto

participare rationem diuisi. nec enim posset dici rectè, *animal aliud est rationale, aliud causa animalis, scilicet Deus*; ergo pari ratione non potest dici rectè, *Logica alia est docens, alia est ea quæ vritur Logica*, quia, quæ vritur Logica, verè non est Logica, sicut vtens ferrâ, verè non est ferra. Quod si, hoc non obstante, volueris alias scientias posse etiam dici Logicam, quia, licet non cognoscant modum sciendi, ipsum tamen efficiunt; non tecum contendam, habes quem imiteris P. Valquez 1. parte, Disputat. 8. num. 19. & Hurtadum Disputat. 2. Logicæ, §. 4. qui refert Augustinum, vocantem Paulum & alios Theologos Dialecticos, non quia traderent modum sciendi, sed quia eo in suis materiis vterentur. Sed Hurtadus non bene id explicat: ibi enim; Logicam vrentem vsurpat pro eodem quod *vrentes Logica*. Incurrit autem obiectionem à nobis factam; non enim bene diuiditur ferra, alia est quæ ferrat, & alia quæ vritur ipsâ ferrâ. Debent ergo, vt ea diuisio possit sustineri, etiam alia scientiæ vocari in nominatiuo Logica, siue id sit per figuram, siue alio modo, vt rectè possint esse membrum diuisionis Logicæ: sed quæstio est de nomine, & parui momenti.

Obiicies contra nostram doctrinam. Idem actus nequit esse vtens & docens, quia non potest esse obiectum sui ipsius; sed omnes actus Logicæ sunt docentes, ergo nequeunt esse Logica vtens, ergo soli actus aliarum scientiarum erunt Logica vtens. Respondetur communiter, eundem actum posse esse docentem respectu aliquorum, & vrentem respectu alterius reflexi supra ipsum cuius regulis conformetur: neque enim implicat, vnum actum esse cognitionem obiecti, & simul esse obiectum actus reflexi. Hæc solutio non respondet omnino difficultati: quia, licet id verum sit in pluribus actibus, v. g. quando demonstro essentiam definitionis (nam ille actus est docens respectu definitionis, & vtens respectu doctrinæ de demonstratione:) at verò in pri-